



V 0005

abg. Nr. 248  
abg. Nr. 248

Finnus, Fr., defensio II.  
M. 3 weitere Schriften

J

M. III. 91.



RELIBRIO  
ORATIO  
PRO DEFENSIONE  
LVTHERI LVTHERA-  
norumque doctrina:

OPPOSITA

ORATIONI ALBERTI  
HVNGERI IESVITICAE SE-  
CTÆ PROFESSORIS ET PROCANCEL-  
larij & Academiæ Ingolstadiensis, in qua malitiosè conatus  
est Theologiam Lutheri, Caluini, aliorumq; , vt ipse ait,  
Nouatorum, cum Philosophia Epicuri sic comparare, vt  
tandem petulanter afferere haud vereatur , Lutheranis-  
mum nil aliud esse quam perfectum Epicureismum,  
& contrà Epicureismum, nil aliud quam  
imperfectum Luthera-  
nismum.

HABITA VERO MARPVRGI IN  
SOLENNI XXVI. BACCALAVREO.  
RVM RENVNCIATIONE,  
AB  
OTHONE GVALTPERIO D. GRÆ-  
carum hebræarumq; literarum  
Professore.



ANNO, M. D. XC.

bb: m. f.



REVERENDO DO-  
CTISSIMO ATQVE HUMANISSI-  
MO VIRO DOMINO CONRADO LAVTEN-  
BACHIO, Lutheranæ doctrinæ in Ecclesia Francfurtensi  
ac Mœnum præconis sincerissimo: nec non ornatissimo atq; specta-  
tissimo viro Domino IOANNI SPIESSIO, Typographo de  
re literaria optimè merito: Dominis suis & amicis  
reuerenter & officiosè colendis,  
to w̄ spāt̄eur.

N, VIRI REVERENDI OCTISSIMI  
atq; ornatissimi, qualem cung illam orationem  
meam, quam in solenni clarissimorum virorum  
studiorumq; lectissimorum panegyri publicè  
in schola nostra recitaui, cùm officij & ordinis  
ratione superioribus mensibus à senatu philoso-  
phico iniunctum mihi esset, ut viginti sex candidatis, græcè lati-  
neg eleganter eruditis, primam in philosophia lauream conferrem.  
Quem actum & presentia vestra exoptatissima condecorasti, cùm  
in gratiam eximiae spei & indolis adolescentis Ludouici Hunniū, cla-  
risse. viri D. D. Egidij Hunniū filij, Marpurgum venissetis, &  
qualem cung hanc dissertationem meam auditu vobis haud iniuncun-  
dam fuisse, apertè estis testati. Quanquam vero argumentum il-  
lud, quod Pontificius Suita aduersum nos sibi sumpserat, longè au-  
gustius & maiore cum apparatu aduersus ipsummet hostem & ca-  
lumniatorem Hungerum retorqueri potuisset: tamen mediocrita-  
te mea contentus, nolui operosius retexere telam pontificiorum  
dogmatum, sed duntaxat digito veluti monstrare, quā inique &  
malitiosè sycophanta ille, sanctissimum virum, hero a fortissimum  
& veræ Euangelicæ doctrinæ instauratorem, Lutherum calumnijs  
suis proscindere sit aggressus. Memor enim egregia illius Nazianz. Nazianz.  
Zenī sentētia: φλυαεία γε μήν καὶ τὸ αὐθόποιος πρέφουλα, τινὲς in parap.  
Ἄγαμδν αὐτοῖς επανεῖται: non dubito quin sibi ipsi maximè Ecclesia.

A 2 nocuerit

## PRÆFATIO.

nocuerit Hungerus, quippe quem tam manifestis calumnijs tamque  
anilibus nugis & nanijs gaudentem cordati & graues viri dein-  
ceps ne vel cassa quidem nuce sint empturi. Vobis igitur potissi-  
mum, viri humanissimi, orationem hanc qualem qualem donan-  
dam ac transmittendam esse censui. Vos enim iij estis, qui peregrè,  
spectandi & exornandi actus huius causâ, ad nos accessistis: vos iij  
estis, quos theologarum dissertationum lectio delectat plurimum,  
& ut hanc in publicum emitterem, eo ipso tempore, quo habitas fuit,  
autores mihi extitistis: vos denique iij estis, quorum alter voce, alter  
prælo & typis elegantissimis, theologiae Lutheranae sinceritatem di-  
ligenter & sedulo inculcatam auditoribus, apud exterios vero longè  
lateque, disseminatam cupitis. Accipite ergo Domini & amici cha-  
rissimi hoc qualecunque munusculum fronte amica & hilari: ac cum  
pro pietate vestra clarissime perspiciatis, theologiam pontificiam  
non nisi Rhapsodiam quandam esse, ex paganismo, pseudoiudaismo  
& pseudochristianismo consutam: pergit facere quod facitis: Ec-  
clesiam Lutheranam, in qua Augustana Confessionis puritas doce-  
tur, constanter sequimini, pieque veneramini, Antichristi Romani  
εἰδωλον tanquam certissimam animæ pestem fugite, paradoxiam  
eius τὸ θρόνον ab omni theologica antiquitatis sapientia  
ignoratam detestamini, errantes in viam vestro exemplo, vestra  
doctrina, exhortatione & literis reducere satagit, ne illekti à me-  
retrice Babylonica & vino prostitutionis illius inebriati, tandem  
cum impia Romanorum pontificum cohorte aeternos cogantur sub-  
ire cruciatus. Sic vos & vestram & aliorum procurantes salu-  
tem Deus opt. max. quam diutissime in columnes conseruet, sospites  
actuarunt. Marpurgi Calend. Septembr. Anno æra Chri-  
stianæ 1589.

R. & H. V.

obseruantiss.

Otho Gualperius, D.

ORATIO.

DEBANSIONE  
SUSTURY

# ORATIO PRO DEFENSIONE LVTHERI LVTHERANO- rumq; doctrina.

**S**APIENS est illa atque consideratione dignissima commonitio, Magnifice Dn. Rector, illustres & generosi Barones, Reuerendi, clarissimi, consultissimi, humanissimi tq; ornatissimi viri, studiosi lectissimi, quæ extat in Pythagoræ Samij Pœmatio, quod nomine ḡευστῶν ἐπῶν inscribitur, cùm inquit:

Μηδὲ ὑπὸν μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμηροι τερψάδας,  
Πελοῦ Τύνιμενων ἔργων τεῖς ἔκρασον ἐπελθεῖν·  
πῆ παρέσσω; πί δ' ἔρεξα; πίμοι δέον σόκε ἐπελέσθι;  
Ἄρξαμνθ δ' ἀπὸ φρότου ἐπέξιθι, καμμέτεπειρε  
Δειλὰ μὴ ἐκφρήσας, θητικλήσαο, χεντὰ δὲ τέρπε  
Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐκμελέται τόπων χεὶς ερχοσε,  
ταῦτα σε τῆς φείνασσει τῆς εἰχνια φησο.

Hoc est, ut carmine exposuit Gerardus Matthisius:  
*Mollibus inducas oculis non ante soporem  
Cuncta ter exacti quam volueris acta dici:  
Quo sum transgressus? quid feci? quid boni amissum est?  
A primo incipiens sic ordine cuncta revolute,  
Deq; mala doleas, de re leteris honesta;  
Hec age & exerce vigil, hec adamare decet te  
Hec te virtutis dīa ad vestigia ducent.*

Enim uero, quemadmodum aliâs in omnibus vitæ partibus verissimum esse deprehendimus, quod scilicet tum de-

A 3. mum

qui

2 DEFENSIO LUTHERI

mum actionum nostrarum optatos consequamur fines, quando subinde officij iniuncti memores, debita cum pic-  
tate sobrietateq; ad animum reuocamus, quid primò, quid  
secundò, quid tertio, quid vltimò præstandum facien-  
dumq; nobis sit: ita in primis in re literaria vel maximè ne-  
cessarium hoc potest videri. Est enim hīc cum artium varie-  
tate coniuncta difficultas haud leuis ita, vt nunc obstet  
**obscuritas**, nunc impedit subtilitas, nunc mentis & inge-  
nij remoretur tarditas, & quod omnium grauissimum est,  
infinita illa pulcherrimarum doctrinarum multitudo me-  
moriā nostrā sic videatur obruere, vt eas aut recte  
**complecti**, aut satis retinere firmiter, vix ac ne vix quidem  
valeat. Quare prudenter cùm præceptores illi faciunt, qui  
discipulis suis cùm Pythagora frequenter inculcant, vt  
scholam ingressi repetant versiculum Pythagoricæ diligen-  
tiæ exactorem: πῦ παρέβλω; τὶ δ' ἐρεξα; πίμοι δέοντα επελέθη;  
tum quoq; discipuli recte studijs suis consulunt, quando  
cum senegrauissimo Catone, Pythagororum more exer-  
cendæ memoriæ caussa, quid quoque die dixerint, audiue-  
rint, egerint, vesperi commemorant. Hæc cùm studiosè &  
diligenter etiam atq; etiam considerarent præsentes in me-  
dium producti candidati, ideoq; libenter parentum & præ-  
ceptorum suorum monitis obtemperarent, nihilq; non,  
quod ad eruditionem & virtutem comparandam face-  
ret, tentarent Logica, Rhetorica, latina mathematica,  
græca, instar germanorum Pythagoræ discipulorum repe-  
terent, tandem huc usque in artibus modò nominatis pro-  
gressi sunt, vt digni fuerint iudicati, quibus hodierna luce  
in solenni hoc conuentu Scholastico primus Philosophiæ  
honos publicè à me decernatur ac conferatur.

Cæterum ne contra statuta & morem laudatissimæ hu-  
ius

Cicer. in  
Cat. ma-  
ior.



LUTHERANORVM QVE DOCTRINA. 3

ius Academiac, a' m'ois, quod dicitur, χρον' ad laureae istius distributionem prorupisse videor, materiem aliquam utili-  
lem & salutarem in gratiam studiosae iuuentutis initio per-  
tractandam suscipiam. Deliberanti autem mihi, quod-  
nam argumentum ex tanta rerum varietate potissimum  
seligendum duceret, quod & actu & auditorio hoc dignum  
iudicari, à meo verò in sacrarum literarum studio, cui ma-  
ximam vitæ partem dedidi, haud alienum posset censer:  
tandem constitui, de philosophia quidem & philosopho-  
rum placitis aliquid differere: quod talem vestram tracta-  
tionem tempus atque locus deposcere videantur: vt item  
de Theologia & Theologis, quod talis dissertatio studio-  
rum meorum rationibus maximè consentanea, accom-  
modataq; esse existimetur.

Verum enim uero, vt huius instituti mei caussam atque occasionem paulò plenius intelligatis, nolite putare mete-  
meraria quadam incogitantia Philosophiam cum Theo-  
logia, & contrà velle confundere, quasi facultatem illam utramq; certis quibusdam limitibus & metis haud iudica-  
rem distinctam: verùm occasionem, vt facerem, præbuit insignis ille & nobilis Lutheri, aliorumq; protestantium  
Theologorum calumniator, Albertus Hungerus, Theolo-  
giæ in Ingolstadiensium Academia Professor ordinarius,  
ciusdemq; Procancellarius cui annis abhinc paucis in con-  
simili palestra, eadē planè ratione de Philosophia & Theo-  
logia differere placuit. Philosophum enim proponit sibi E-  
picurum eiusdemq; Philosophiam & placita: Theologum  
Lutherum, huiusq; doctrinam & dogmata. Atq; inter hos  
duos decem integris pagellis conatur ostendere, tantam es-  
se homologiam, analogiam, consensum, concentumque  
doctrinam utriusq; tam consentancam, tam cognatam  
tam.

tam consimilem, ut vix ouum, quod dicitur, ouo sit similius, adeò vt quemadmodum Epicurus ex diuersis Philosophorum placitis circulum coegerit & de obsoletis Cyrenaicis alijsq; philosophastris floruerit: ita Lutherus ex varijs iampridem damnatis & anathematizatis hæresibus Manetis, Arij, Eunomij, Vigilantij, Iouiniani, Wiclefi, aliarumque pestium venenis pestiferam suam sectam condiderit: tandem vt sententia & iudicio Hungeri, Epicureismus nihil videatur esse aliud quam imperfectus Lutheranismus: Lutheranismus verò haud aliud quam perfectus Epicureismus, quæ impudentissima impudentissimi Suitæ vox, cùm non modò in solenni & frequenti absq; dubio studiosorum panegyri magno hiatu & verbis sesquipedalibus fuerit prolata, verum etiam post centuram perinde religiosi Socij Gregorij de Valentia in orbem Christianorum publicis typis emissa: opera me facturum pretium existimau, si in gratiam studiosæ iuuentutis, cuius bona pars fortassis has Strophas vidit & legit, contrà demonstrem, argumentum, quod pontificius hic monachus aduersum nos de Philosophia & Theologia sumpsit, non nisi in ipsos Pontificios, corundemque philosphicam Theologiam optimo iure quadrare. Ac proinde non Lutherum, sed Clerum Antichristi Romani ab Hungero fuisse delineatum. Cæterū, vt solidam eius rei vobis fidem faciam, non sequar vestigia Hungeri, vt sine omni discrimine vniuersam Pontificiorum Theologiam ex Ethnicismo constare dicam. Hac enim ratione vel in ipso limine non minus ac monachus hic sororis instar me proderem & totam orationem redderem suspectam. Verum in eo versabitur huius dissertationis mex cardo, vt liquidò euincam, omnem Pontificiorum Theologiam, quatenus à nostra, hoc est, Lutherana

LUTHERANORVM QVE DOCTRINA. 3

therana & Augustanam Confessionem professa, recedit, vel ex varijs Philosopherum, non Epicuri tantummodo, sed aliorum quoq; plurimorum placitis esse conflatam: vel κακοζηλία quadam legum Mosaicarum introductam: vel deniq; proprio arbitrio & autoritate humana κατέθελοθρησκεία Romanorum Pontificum præter & contra Dei verbum in Christi Ecclesiam esse inuestigatam, stabilitamq;.

Quocirca primò de Paganismo, secundò de Pseudoiudaismo, tertio de pseudochristianismo Pontificiorum ex ipsarum rerum & cultus aestimatione deinceps pro temporis ratione aliquid in medium sum allaturus, ita tamen, ut maxima orationis pars in primo absoluatur membro, quod istud ad institutum nostrum potissimum sit accommodatum. Vestrarum humauitatem per amanter etiam atq; etiam rogatas cupio, vt auribus benevolis adesse mihi haud digneui.

Paganismum itaq; Pontificiorum, vt propter antiquitatem primo collocatum loco, principio aggrediar. Obscurum vobis nequaquam esse potest, quam religiosè & sanctè persuasum velint omnibus, se de primo illo & summō religionis Christiane capite, de sacrosancte inquam Trinitatis mysterio haud aliud statuere, quam id, quod omnibus etatis Catholica ex Deiverbo statuit Ecclesia.

At interim quid faciunt? quam verum dicunt? cum ne & hīc quidem à Paganismo sibi caueant, sed si usquam alibi vel hīc in primis in eum impingant. Enim uero quidam Ethnici non unum cum Dei Ecclesia Iehouam agnoscunt, sed πολυθεία seu multitudinem Deorum vanissimè commiscuntur, vt unum quidem summum Deum constituant, cūtamen infinita alia numina inferiora subiçiant, ob id, quod stultissimè opinentur, vel supremam illam sum-

B minu-

minuminis ac Dei maiestatem sublimiorem esse, quam ut  
res mortalium singulas curare, ijsq; prouidentia sua vaca-  
redignetur: vel saltem si maximè curæ sint illi res humanæ,  
indignum tamen esse, vt à tam misericordiis atq; infelibus ho-  
munculis inde sinenter tot precibus atq; supplicationibus  
fatigetur: inferiores autem Deos ceu numero plures, aditu  
faciliores esse, qui, vt apud summū Deum maiore valeant  
authoritate, ita petita quoq; hominum celerius confiant  
& impetrent.

Quid enim quæso aliud opinati sunt Platonici? quid Apuleius? quid Porphyrius? quæ alia gentilium *θεοφία*? Sic enim, referente Eusebio & Augustino, Platonici codēprorsus modo inter Deum summum & homines, tum animas defunctorum, tum dæmonas mediatores constituebant. Verba Augustini ex lib. 8. de ciuitate Dei cap. 20. 21. 25. 26. de Æsculapio & Hermete Trismegisto nominatim adducere, ni tempori & actui inseruendum mihi intelligerem. Pari prorsus ratione Pontificij, quanquam se summum quendam & vnicum Iehouam nobiscum colere conserueri dicant, eidem tamen infinitam sanctorum hominum turbam ceu *Ἄγδοχος* in locum gentilitiorū Dcorum substituunt: ad quos etiam precatio[n]es suas dirigunt, vt ipsi ceu intermedij inter Deum & homines supplicationibus audiendis, non sine permagna vni[us] mediatoris Christi contumelia destinati credantur.

Conferat enim aliquis Pontificiorum de veneracione Sanctorum doctrinā: intueatur ipsius Ecclesiæ Romanæ praxin & liquidò animaduertet, omnia ea, quæ de media[tionib.] suffragijs, patrocinij, meritis, ope, auxilioq; Sanctorū tradunt, defendunt, exercēt, omnia, inquam, re & facto, mutatis tantummodo nominibus, ne latum quidem vnu-

guem.

LUTHERANORVM QVE DOCTRINA. 7

guem à vana illa & stolida Platonicorum Philosophica  
Theologia dispare. Substitue in locum Æsculapij  
Cosmam & Damianum & habes Platonicam Pontificio-  
rum orationem, ô medici piissimi, qui meritis clarissimi  
in cœlis resulgetis, à peste, clade corporum præseruetis &  
operum moribus ne langueamus, aut moriamur Spiritu,  
sed animæ ab obitu velociter surgamus & viuamus in gra-  
tia, sacra cœli palatia donec ingrediamur. Substituatur  
in locum Trismegisti beatissima virgo Maria & erunt ex  
Rosario ipsius preces eiusmodi: ô virtutum vasculum, re-  
gina cœlorum, Christi receptaculum, salus anxiorum, tu-  
tum propugnaculum, saluatrix languidorum, audi con-  
querentium preces famulorum & pro nobis miseris Deum  
deprecare. Nam quicquid petieris, vales impetrare. Sun-  
manos necessitas te cogit rogare, quos in fluctu positos sæ-  
num pulsat mare. Quid? quod totum Psalterium non sine  
atrocivnius omnipotētis Dei blasphemia, horrendēq; ido-  
lomanie criminē ad eiusdem virginis Marię inuocationem  
sit transformatum.

Porrò quidam Pagani pro multiplici Deorum varietate  
alios cœlestes, alios aërios, alios terrestres, alios marinos,  
alios sylvestres faciebant, quidam hac in parte post Ægyptios in primis Græcorum maxima vanitas ac supersticio  
fuit notata, qui Mari Neptunum, Plutonem intimis terræ  
visceribus & cauernis, Iouem cœlo incluserunt, & rursum  
his singulis alios infinito numero adiunixerunt: Ioni Satur-  
num, Mercurium, Appollinem, Martem, Venerem, Dia-  
nam, Neptuno Nereum quem ἀλκυόνα & Portum seu Por-  
tunum nominant, innumeram item Nymphaeum cohore-  
tem, quales fuere Nereides, ποταμίδες, κρηνηπίδες, θρυάδες, ἄ-  
μαδηνάδες & nescio quæ aliæ, Apud Romanos verò erant

8 DEFENSIO LUTHERI

Dij maiorum & minorum gentiū, erant penates, Dij communes, Dij geniales, indigetes, patrij, tutelares, ac reliquum genus Faunorum, Syluanorum, Satyrorum, Lemurum, adeò ut doctiss. Varro vltro 30000. commentitiorum numinum suo tempore notauerit: Atq; inter hos omnes provincias, regiones, ciuitates, familias, domos, elementa, fruges, semina, morbos, artes, opificia & nescio quæ alia distribuebant, de quibus omnium ferè poëtarum libri pleni atq; referti sunt: priuatim etiam populi singuli gentis aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes (ut lacteum illud eloquentię flumen, Lactantius loquitur) seu fœminæ castitate mirabiles, summa veneraione colebant, vt Ægyptij isidem, Mauri lubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum, Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venetrem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.

Lact. lib. i. de fals. relig.  
Ita planè cōsimili ratione, Pontificios superioribus temporibus, regionibus pene singulis, ciuitatibus, familijs, dominibus, hominibus, statibus, artibus, morbis, peculiarem aliquem Sanctum, patronum tutelarem atq; auxiliatorem præfecisse, notius est ex publicis ipsorum scriptis, quam ut res longa probatione indigeat: Germaniā tuebantur Martinus & Georgius Cataphractus: Romanorū territorium Petrus & Paulus: Hispanos Iacobus: Gallos Michaël & Dionysius: Heluetios Maria ad nigricantem Eremitarum Syluam: Vngaros Ludouicus, & altera Maria, quæ apud Aquisgranenses moratur. Polonus Stanislaus: Moscouitas Nicolaus: Brussos Albertus. Ex ciuitatibus Mediolanum defendebat Ambrosius: Coloniam Agrippinam tres magi ex oriente, si Dijs placet, hucusq; satis tardè aduentantes:

Augustam.

LUTHERANORVM QVE DOCTRINA.

9

Augustam Huldericus: Solodurum Heluetiorum Ursus,  
& quis alios innumeros Quintinos, Quirinos, Osualdos,  
Gangelfos similes; Sanctos posset enumerare? Studiosi  
amabant Gregorium & Catharinam: Pictores colebant  
Lucam: Iureconsulti venerabantur Iunonem: Medici Cos-  
mam & Damianum: Equites Gregorium: Sartores Got-  
mannum: Sutores Crispinum: Fabri Eulogium: Figuli  
Gotarum: Nautæ Nicolaum & Christophorum: Venato-  
res Eustathium. Ad auertendam grandinem inuocaban-  
tur Ioannes & Paulus: contra incendia Agatha & Florea-  
nus: contra rubiginem Iodocus: contra pestem Sebastia-  
nus & Rochus: contra febrim Petronella: contra venenum  
Ioannes Euangelista & Benedictus: aduersus dentium do-  
lores Apollonia: contra oculorum vitia Otilia: contra cal-  
culum Liberius: contra ignem sacram Antonius: Contra-  
cti implorabant Wolfgangum: Dæmoniaci Romanum:  
Epileptici Valentini: Captiui Leonhardum: Puerperæ  
Margaretham: Meretrices (vt ne hæ quoq; curiæ Roma-  
norum Pontificū deessent) Afram & Magdalenā, quemad-  
modum Romani olim Leānā Faulam Florā. Taceo innu-  
mera alia Deorum monstra, quæ vix per integrum anni cir-  
cuitum à misericordiis illis Pontificijs recenseri potuerunt. Sic  
enim Wernerus Westphalus historiæ istius author, quæ  
nomine Fasciculi temporum inscribitur, Isuardum quen-  
dam monachum iussu Caroli Magni omnes legendas, &  
actus Sanctorum in unum volumen collegisse commemo-  
rat, & factum esse, vt in singulos dies ultra trecenta festa San-  
ctorum concurrerint. Quod si verum est, annon infinito  
intervallo Pontificij gentiles relinquunt, cùm hi vix ultra  
30000. Deorum, illi vel quadruplo maiorem numerum  
recensere potuerint.

B 3

Præterea

Præterea, quemadmodū vetustas Ethnica per Διηθεωτικὴ Poeticā in Diuorum numerū referebat Semidios, Heroas & Cæsares, qui virtute & nominis gloria famā aliorum viderentur superare: ita Pontifices quoq; Romani pro immensa sua, quam fingunt sibi potestatem, in album Sanctorum retulere, quoscunq; Canone dignos ipsi pro arbitrio suo iudicauissent. Testatum hoc faciunt narrationes de sancto Ludouico Franciæ rege, quem Papa Bonifacius eius nominis octauus canonizabat, ipse interim minimè sanctus existens, de quo dicebatur publicè, quod ad Papatum intrasset, ut vulpes, vixisset ut Leo, mortuus fuisset, ut canis. Testantur historiæ de sancto Henrico, Imperatore & Bauariæ duce: de sancto Bernardo, marchione Badensi, de S. Leopoldo Austriæ duce, de S. Brigitta Suetiæ regina, ut nūc præteream maximum illum Paparum, Prælatorum, Cardinalium, Episcoporum, aliorumq; Monachorum numerum, quem rhythmis expressum Fasciculi temporū author sub Papa Ioanne eius nominis 22. percenset.

Adhuc quemadmodū vetustas Ethnica nō solùm maiorum (quos vocabant) gentiū Deos colebant, sed cosetiā, quos in gradu longè inferiore collocados arbitrabantur, quosq; nusquam existentes ex euentis tantum sibi fingere didicabant, adeò ut ne Deam Cloacinam quidem, Venerem caluam, venerem armatam, Deam Mutam, Cacam, Leænam, Faulam, Floram, Cuninam, immò Sterculium & Terminalium præterirent: ita haud secus Pontificij tanquam minorum gentium adeò inglorios ignotosq; diuos diuasq; Gregorium, Christophorum, Iodocum, Catharinam, Otiliam inuocares singulisq; sua tribuere encomia consuecerunt, ut post natos homines vnquam istos vixisse, ne dicam præclarri quicquam gessisse, cultores corum proprijs solidè probare

## LUTHERANORVM QVE DOCTRINA.

bare non possent. Erant nimirum obscuri monachi, fratres ad ocium, papyrum & tempus perdendum nati, qui ex triuio arripientes occasionem, nescio qua singulari imbuti deuotione, vel rapti Enthusiasmo, secundum quietem eiusmodi fabulas impudentissimas & manibus penè palpabiles sominabant, post, ceu ab ipso Deo cælitus dilapsas, superstitionis populo pro auro videlicet carbones obtrudebant. Quod si vel ipsi Pontificij negare aut dissimilare voluerint, obstat Gratiani authoritas, qui distinct. 15. disertè notat, fuisse secundum antiquorum authoritatē singulari cautela prohibitum, ne tales de Sanctis legendæ coram populo percenserentur, subiecta hac ratione, quod eæ vel ab infidelibus, vel ab hæreticis, vel ab incertis authoribus ita conscriptæ iudicarentur, ut veræ fidei potius subsannatio, quam confirmatio sint futuræ.

Neq; satis est Pontificijs tantam quasi minorū gentium Deorum turbā Pontifici & mediatori nostro vnico Christo adiunxisse: quin etiam in terris idola seu simulachra eorum lignea, argentea, æneaq; effingunt, passimq; in templis posita religiose venerantur, colunt, adorant. Immò non effingunt tantum, sed & ornatu vario condecorant, chlamyde, peplo, vestibusq; varijs amiciunt, haud secus ac si vel ab æstu, vel frigore periculum ipsis immineret.

ô stultas hominum mentes, ô peccora cæca,  
Quamlibet in teneris vita quantisq; periclis.

Degitur hoc æui quodcunq; est:

Quis hæc ludibria nō derideat, qui habet aliquid sanitatis: cùm videat homines velut mente captos ea seriò facere, quæ si quis faciat perlusum & iocum, minus sanus imò inoptus esse videatur. Vnde verò, quæso te, habent aut multati sunt Pontificij hanc impiam & stolidam vanitatem, nisi.

*Latt. lib. ii.  
cap. 21.*



nisi ab ipsis Ethnicis. Probauerit hoc, opinor, vel solus ille  
Dionysius senior Siciliæ rex, egregius simulachrorum con-  
temptor & spoliator, qui, vt refert Valer. Max. lib. 1. cap. 2.  
ingressus Deorum templum detraxit loui Olympio magni  
ponderis amiculum aureum, quo eum tyrannus Hiero è  
manubijs Carthaginensium ornauerat, proq; detracto au-  
reо, laneum ei iniecit palliū dicens: æstate graue esse ami-  
culum aureū, hyeme frigidum, laneum autem ad vtrunq;  
anni tempus magis esse accommodatum. Idem Epidauri  
Æsculapiο barbam auream euulsit, affirmans, minimè de-  
cere, vt parens Apolio imberbis, filius Æsculapius bar-  
batus cōspiciatur. Etrursum, cùm videret simulachra por-  
rectis manibus victorias aureas, pateras & coronas aureas  
tenere, cripuit illis, subiiciens, se oblata accipere, non aufer-  
re, immò perabsurdum fore, à quibus quotidie bona pe-  
tamus ab ijsdem vltrò porridentibus nolle accipere. Vnum  
tame inter gentiles & Pōtificios videtur interesse, videlicet  
quòd cùm pagani olim argēto & auro idola sua ornarent,  
Pontificij nostri vix sordido & squalido panno Mariā suam  
circumuestiant, quippe quòd argentum & aurum in alios  
vſus meliores conuertere didicerint. Ac sanè quæ dixi &  
demonstraui haētenus de Pontificiorum πολυθέα, quan-  
quam cum maxima Dei ignominia coniuncta sint, maiora  
tamen & magis nefaria committere Pontificios, affirmare  
nullus dubito. Neq; enim suffecerit illis, tantam Deorum  
multitudinem cum Ethnicis introduxisse, iurant præter-  
ea, iurant, inquā, per Sanctos demortuos, illisq; honorem  
soli lehouæ debitum imparciunt, cùm tamen iurare sit ne-  
fas, nisi per eū, qui verè habeatur & existat creaturis omni-  
bus, ne angelis quidē exceptis, maior, imò iuramentum de-  
ferrinulli possit, nisi in solidum eidem diuinæ simul omni-  
scien-

scientiae & omnipotentiae laus ascribatur. Quare cum cultus invocationis, qui basis & fundamentum salutis est, à Pontificijs in Paganismum conuersus & transformatus sit, quid obstat quò minus Theologia Pontifica cum gentilismo hac quidem in parte reciprocetur ac conuertatur? Dicat igitur nunc Albertus, utrum Pontifica, an Lutherana Theologia, Theosophia & Ethnicæ sit similior, in eo fidei capite, vbi vel summa cum Deo æterno est copulatio vel ab eodem extrema disiunctio & propter spiritualem fornicationem, ut Christiana pietas appellat, manifestum diuortium.

Sed enim ut ad similitudinem Platonicorum, Porphyrianorum, Græcorum, ac Romanorum, multitudinem Deorum, de qua hactenus diximus, introduxerunt. ita nominatim cum Epicuro etiam ex eodem fundamento propitiam Dei erga nos prouidentiam tollunt: dum non ad Dei solius curam, sed & DIVORVM tutelam perinde nos ablegare solent. Cumq; pro πληροφορίᾳ fidei, & spe immortis Dei promissionibus subnixa, dubitationem de gratia Dei erga nos deq; precum nostrarum exauditione substituunt, quid aliud quæso faciunt, quam quòd omnem consolationem nobis eripere, Academicam verò seu pyrrhoniam επωχήν persuadere conantur. Proinde Alberte, ne puta iniuriam tibi à me fieri, si insolētissimas tuas ἐκφωνέσις, quas passim in oratione tua potvis, in te ipsum retorqueam: si inquam de te conquerar & alta voce exclamem: ô homines Epicureos, addo & Academicos impijissimos? Ecquidni enim Lutherum rectissimè de prouidentia diuina docentem excusem, te verò Alberte cum monachis tuis accusem, qui plenis buccis quotidie ingenti boatu in templis vestris, priuatim etiam in cubilibus vestris, non ad curam

C

Dci

Dei, non ad prouidentiam Dei, non ad promissiones præsentiae Dei confugitis, sed de cura, de cura inquam, & prouidentia Sanctorum demortuorum vnicè solliciti atq; suspensi existitis. Hinc illæ nefariæ vestræ voces: Aue Maria salutis & consolatrix viuorum & mortuorum, mecum sis in omnibus tribulationibus, temptationibus, necessitatibus & angustijs meis, & maximè in hora mortis meæ, & impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam & cœlestis patriæ gloriam, ô peccatorum consolatrix, infirmorum curatrix, errantium reuocatrix, iustorum confirmatrix, desolatorum spes & auxiliatrix, atq; mea promptissima adiutrix & singularissima inuocatrix, tibi Domina gloria commendo hodie & quotidie animam meam, ô beate Paule ora pro nobis, ô Petre beate ora pro nobis. Hæc cuncte scripturarum sacrarum de prouidentia diuina sententia est: An non hoc ipsum est, Deo prouidentiam suam detrahere, & cum creaturis communicare?

Sed tempus me iubet progredi. De peccato peccante, seu originario, & consequenter de viribus humanis, vel libero hominis nondum renati arbitrio, quid aliud quæso tradunt Pontificij, quam id, quod philosophi gentiles, quibus tristissimus ille primorum parentum lapsus & horrenda imaginis Dei in homine destructio prorsus erant ignota, docent & produnt memoriae?

Aquam lustralem, quam vulgo Benedictam vocant, & qua non corporis frides, sed animi & conscientiæ vitia, tenui sacro quodam februio purgari existimant, vnde petierunt Pontificij? Ab Ethnicis profectò. Sic enim Romani, Paganismo adhuc florente, ad portam Capennam, aqua Mercurio sacra aspergere se inuicem, & hoc modo à vitijs potissimum vero periurijs purgare se solebant. Eadem perfusione

fusione Peleus Patroclum abluisse, Acastus Peleum à cæde fratri Phoci expiisse, Ægeus Medeam à cæde liberorum liberasse scribuntur. Eodem ritu Orestem expiatum esse à cæde matris Clytemnestre Pausanias author est in Corinthiacis. Ac sanè ut Pontificij, ita Ethnici quoq; nihil sacrorum sine corpore lustrato attrectare solebant, sed potius piaculum & nefas id esse putabant. Hinc Æneas apud Vergilium ceu multa cæde pollutus ad patrem Anchisem:

*Tu genitor cape sacra manu, patriosq; Penates,  
Me bello è tanto digressum, & cæde madentem  
Attrectare nefas, donec me flumine vino.  
Abluero.*

Et notus est Sarcasmus Diogenis Cynici apud Laërtium lib. 6. Is enim cùm quendam videret religionis caussa fluuiis vndis se aspergentem, ridebat hominem dicens: ô infelix, an ignoras, quoniam, ut in grammatica erratis aspersus, non absoluueris, ita nec vitæ criminibus euades libertè nimirum insaniam hominis notabat, qui aqua sensibili & elementari animi maculas purgari & elui opinabatur. Notum etiam est Valentiniani Imperatoris factum, qui nondum quidem Imperator, cùm aliquando vnà cum Iuliano templum Fortunæ ingressus esset, atq; ab ædituo aspersus guttulam in Chlamyde purpurea vidisset, pugno percussit ædituum, hoc non purificare, sed inquinare est dicens. Tantò autem magis in Pontificijs reprehēdendus est impius hic aquæ lustralis abusus, quod ipsi Ecclesiæ titulū sibi vendicant & ij videri volunt, qui cum vniuersa Ecclesia Catholica de effusione pretiosi sanguinis Iesu Christi (qui solus ab omni emundat peccato) rectè & piè sentiant, cùm tamen id negent facto, quod verbis iam erant professi. Immò (quod peius est) instar incantatorum lustralem hanc

C 2 aquam

quam peculiaribus quibusdā demurmurationibus consecrant & inde diuinam quandam intrinsecam virtutem atq; efficacitatem stultissimè ci affingunt.

Quid dicam de purgatorio? Bella videlicet fabula & digna suis authoribus. Sed vnde eam Pontificij? Respondent ex Augustino & alijs nonnullis scriptoribus Ecclesiasticis? Verū si queras vnde Augustinus & reliqui? Affirmant ex Platone, Homero, Vergilio. Proh Deūm atq; hominum fidem? Ergo ne articulus fidei ex Platone, Ecclesiæ dogma ex Vergilio & Homero extructur. Quæ hæc Theologia philosophica est? Non miror iam amplius, Alberte, quod adeò perstrinxeris Lutherum cùm summum alioqui Philosophum Aristotelem Aristultelum appellasset, & ut tu verba eius germanica adducis: *der hohen Schulen Narrativer*. Hæc enim propter te & similes Theologastros scripsit Lutherus, qui Paganismū à Christianismo non discernentes βδελύσματα etiam illa Philosophorum in Dei verbum & eius Ecclesiam contra omnem pietatem ingeritis, veram philosophiam à notha & spuria non discernitis, sed indiscriminatim sic ea abutimini, & antè vos abusi sunt maiores vestri, ut ante pauca secula omnium scholarum vestrarum pulpita Theologica plus haberent spinarum Aristotelicarum, quam sanæ & puræ doctrinæ ex verbo Dei petitæ, immò in omnibus penè disputationibus & controversijs Theologicis dirimendis solus aduocari iudex Aristoteles.

Non igitur tantoperè mirandū, si propter hunc vestrum abusum Lutherus Aristotelem vocet Aristultelum: cùm simili ratione & D. Terullianus generatim Philosophos paganos omnes, haud quaquam dubitauerit hæreticorum appellare Patriarchas. Sed hæc de purgatorijs structura: modum

dum etiam & rationem reuelandarū animarum Pontificij à gentilibus sunt mutuati. Sic enim apud gentes receptū & publicè persuasum erat, animos mortuorum, viuentium exequijs, inferijs & sacrificijs reuelari & adiuuari, vt ex Stygijs paludibus & Cerberi latratibus protinus ad campos Elysios subuolent, ibiq; ad requiem & refrigerium deducantur: reliquorum verò animas, quibus eiusdem suffragia à viuis haud præstentur, miserè detineri cruciariq;. Eadem Pontificiorum est opinio, ritus ijdem: nimirum quia ~~ω~~<sup>τ</sup>λαφί~~τ~~<sup>τ</sup>.

Ergò in hoc vnicō tandem laudandus erit mihi candor Ingolstadiensium monachorum, quòd publicis editis scriptis id ipsum haud grauatim fuerint confessi, videlicet extare purgatorium, si non in Scriptura canonica, apud Homerum tamen in Vlyssea lib. α & γ: apud Verg. Æneid. 6. apud Ouid. 2. Fastorum: apud Aristotelem etiam uspiam: & tandem in Alcorano articulo 10. Quæ autem & quantæ hę sint in Dei Ecclesia tenebræ, cordati Christiani etiam me non admonente ultro perspiciunt.

Verùm Augiæ stabulum repurgandum mihi sumpsi. Itaque, Aud. optimi, si paulò longius in prima illa parte commoratus sum, rogo vt id non mihi sed potius fœcunditati errorum Pontificiorum imputandum esse existimetis. Strictim autem & breuiter & quasi extremis digitis duntaxat attingam, quæ de Pseudoiudaismo atq; Pseudochristianismo Pontificiorum deinceps dicenda restant. Quanquam verò omnia illa in ieunis mundi elementis, vt cum Paulo Apostolo loquar, & litera potius quam Spiritu consistunt: tamen ne hæc quidem Pontificij sine opinione necessitatis, cultus aut meriti afferere, sed sub interminatione Anathematis credēda cōscientijs solent obtrudere atq; venditare.

Vt verò in populo Iudaico vnuſ quondam erat Sacerdos & Pontifex ſummuſ, qui quotannis in Sanctum Sanctorum ingrediens pro ſe & populi ignorantia offerebat & ſic Chriſtum αρχιποιμδνα ſecundum ordinem Melchizedeci adumbrabat, eiusq; typum ad certum & definitum gerebat tempus: Ita Pontificij ſuum Oecumenicum & vniuersalem habent Episcopum, quem Papam salutant, eumq; ceu Chriſti in terris Vicarium, plusquam Aaronea potestate instruētum falsiſſimè fingunt, adorant, exouſulantur.

Rurſum, vt multi erant Sacerdotes Leuitici, gradu & ordine, ſummo Sacerdoti inferioris, quibus nunquam in Sanctum Sanctorum licebat ingredi, ſed proprium erat munus in priori tabernaculo ſe continere, ibiq; pro diſtinctis & ordinatis à Deo εφημεείας τὰς λατρείας θητελεῖν, vt loquitur Apoſtolus ad Hebr. cap. 9. Ita Pontificij ſuos habent Sacrificulos ſeu Miſſificatores, qui vt ordine longè inferioris ſunt Papa, ita proprijs ſui officij ducunt, corpus Chriſti, ſi Dijs placet, conſecrare, idq; tranſubſtantiatum in arcuſas reponere, ac quibus lubet, adorandum proponere.

Præterea, vt in eodem populo veteri erati iugi Sacrifciūm, quod ſingulis diebus ex iuſtituto Dei peragi conueniebat: ita Pontificij ex umbræ huius & ſimilitudinis imagine, iam pridem ſuum habent Deum Maozim, Miſſam inquam, in qua, vt ipſi nugantur, quotidie incruentum corporis Chriſti tranſubſtantati Sacrificium offerunt: neq; offerunt tantum ſed & expiatorium ſtatuant pro peccatis tuū viuorum tam mortuorum, immò quod iniquius eſt, & à Scripturæ veritate longè alienius, expandi illam virtutem non à pre- tioso Chriſti ſanguine, pro nobis ſemel in ara Crucis effuſo, ſed ab ipſius Miſſificatoris ſeu Sacrificuli εὐθαξίᾳ hoc eſt opere operato, vt ipſi loquuntur, dependere existimant.

Quo

LUTHERANORVM QVE DOCTRINAE. 19

Quo ipso nimirū tam iniuriosi sunt atq; blasphemii in Christi mediatoris tum officiū tum personam, vt pectori Christiano cogitatu nihil tam sit horrendū, atq; monstrosa immō crudelis hæc furiosorum monachorum sacrificandi dementia.

Porrò conferte ipsimet altaria Iudaici populi, candelas fumigia, vestitus sacerdotalis splendorem, reliquumq; Sacerdotij Leuitici apparatum, cum Pontificiorum altaribus candelis, suffitibus, infularum & reliquorum vestimentorum luxurie: conferte annum Iubilæum, qui quinquagesimo quoquo anno clangore buccinæ in populo Iudaico significabatur, cū anno Iubilæo Bonifacij octauo, qui in centesimum annum collocarat. Clementis sexti, qui in quinquagesimum: Gregorij vndecimi, qui in 30. Sixti quarti, qui in 25. contraxerat: & euadet meridiana luce clarius, ne hīc quidem Pontificios inficias ire posse, quin omnia illa sine Dei mandato per *κακοζηλίαν* duntaxat ex veteri lege sint mutuati.

Ad ultimum igitur membrum accingor, in quo tametsi plurima Pseudochristianismi documenta in medium possem afferre, studio tamē breuitatis att ngam nonnulla duntaxat, ex quibus de reliquis simile fiat iudicium. Sunt igitur propriè sic appellati Papismi emblemata hæc: Hominum de mortuorū inuocatio idololatrica: Transsubstantiatio panis & vini in verum corpus & sanguinē Christi: Incruentum Missæ sacrificium & illud quidem expiatorium cùm pro viuorum tum demortuorum peccatis: Cælibatus Sacerdotum: Usus vnius speciei in Cœna Dominica: Monachorum varij ordines, quorum alij alios crudelissimè sunt infectati: prohibitio Coniugij, ab Encratitis & Tatiano, vñā cum delectu ciborum & alijs dæmoniorum doctrinis pe-

nispetita: conspurcatio Baptismi, quæ fit sputo, sale & alijs  
sordibus aspersis: Baptismus campanarū: salis & aliarum  
creaturarum exorcisatio: deniq; vniuersalis illa Romani  
Pontificis potestas, qua pleno ore & calamo assentatores  
& monachi ipsius nugantur: quod Papa Romanus omnia  
iura habeat in scrinio pectoris sui etiamsi idiota sit & im-  
memor sui nominis: quod Papa idem habeat Consisto-  
rium cum Deo, & idem Tribunal cum Christo: quòd Pa-  
pæ sit tradita omnis potestas in cœlo & in terra: quòd à Pa-  
pa ne ad Deum quidem appellare liceat: quòd Papa possit  
aliquid de nihilo facere: quòd Papa maior sit omni alia cre-  
atura & contra epistolos Pauli possit statuere: quòd Papa  
sit magnus Sacerdos & summus Pontifex, Princeps Episco-  
porum, hæres Apostolorum: in primatu Abel: gubernatio-  
ne Arca Noæ: patriarchatu Abraham: ordine Melchise-  
dec: dignitate Aaron: authoritate Moses: iudicatu Samuel:  
Zelo Helias: mansuetudine Dauid: potestate Petrus: vn-  
ctione Christus & similia innumera.

At verò quis vñquam hominum, auditores humaniss.  
inde à mundi exordio tot mille retro seculis, tām vecors  
tām audax, tām insanus, tām blasphemus in Deum angelos  
& homines fuit vt se talem non hominem sed hominis mō-  
strum configi atq; appellari pateretur. Ex quibus omni-  
bus concludi aliud potest nihil, quām Papam Romanum  
esse Antichristum: Antichristum inquam illum magnum,  
de quo nominatim apud Paulum 2. Thessal. 2. Dan. 12. A-  
pocal. 17. & alijs scripturæ locis ex professo differitur.

Quare vt qualicunq; huic dissertationi meæ finem im-  
ponam, cùm hæc omnia ita se habeant, vt haec tenus est cō-  
memoratum, quis non vel manibus palpet, argumentum,  
quod initio Albertus Hungerus aduersus nostras Ecclesias  
sibi

LUTHERANORVM QVE DOCTRINAE. 21

fibi sumpserat, validissimè aduersus Ecclesiam pontificiam militare: quis non vel cæcus videat Theologiam Romanam superstitioni Ethnicæ adeò esse consimilem, ut ouum ouo vix sic similius: immò non similem modò, sed & propter reliquos in medium productos errores, quos partim sub Pseudoiudaismo, partim sub Pseudochristianismo cōprehendimus, longè peiorem deterioremq;. Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi ex toto pectori oro, ut ipse in lucis veritate diutissimè nos conseruet, ab Epicurea verò securitate & pontificijs tenebris nos custodiatur ac tucatur. Dux.

H<sup>I</sup>s itaq; præfationis loco præmissis, nunc deinceps ad hactum promotionis ipsum, cuius gratia panegyris hēc instituta est, descendendum nobis esse video. Meministis enim dubio procul, quòd initio orationis dixerim, præsentes candidatos omnes & singulos, Pythagoricæ cohortationis memores, eiusmodi progressus in Logicis, Rhetoriciis, Mathematicis, Græcis, Latinisq; fecisse, ut digni fuerint iudicati, quibus hodierna luce primus Philosophiæ honos & titulus publicè decernatur ac cōferatur. Ne igitur de prestita haec tenus ipsorum diligentia atq; obedientia dubitare quisquā possit, agite, cāandidati optimi, cruditionis vestrē specimen aliquod edite, vosq; non κῶφα τρόσωπα in amplissimū hoc theatrum productos demonstrate, sed singuli eo quo collocati estis ordine problemata vestra Logica clara & alacri voce recitate.

*Edifferunt sua problemata.*

Audiuitis Candidatorum nostrorum problemata iucunda ea sanè, & ex medijs Logicarum artium spatijs petita: nec dubito quin humanitates vestræ libenter in ijs acquiescant.

D escant.

escant. Itaq; restare nihil videtur amplius, quām vt publicē vniuersos & singulos Philosophiæ & Logicarum artiū Baccalaureos renunciem. Sed quia in inclyta Academia hac more & consuetudine receptum est, vt antequam illud fiat, præceptoribus ordine Candidati singuli certa quædam capita ad sceptræ Scholæ iurent: Tu publicē vniuersitatis minister adesto, & formulam iuramenti Candidatis nostris clara voce prælegito.

*Recitatitur iuramenti formula.*

Ego igitur Otho Gualterius Græc. & Hebr. literarum Professor, non tam meo, quām vniuersi Collegij Professorū Philosophiæ nomine, omnes & singulos præsentes Candidates 26. Philosophiæ & Logicarum artiū Baccalaureos renuncio, declaro, proclamo, in nomine sacrosanctæ & individuæ Trinitatis Dei patris, Dei filij, Dei S. sancti.

*Insigne explicatur.*

Quandoquidem verò à sapiente & erudita vetustate, in huiusmodi honorum literariorum distributione, semper adhibitæ fuerunt certæ quædam ceremoniæ, quibus solennes isti actus celebriores redderentur, nec tamen ἀσύμβολοι prorsus illæ essent: nos quoq; ea in parte laudatae atq; receptæ consuetudini satisfacere studebimus. Nolo autem iam Xerxen, potentissimum illum Persarum regem imitari, qui, vt refert historiæ Ethnicæ parens Herodotus, platanum quandam ob insignem proceritatem torquibus aureis armilisq; coronasse legitur. Ad eam enim dignitatem ut posthac sedulò aspiretis, calcar & incitamentū vobis erit honos præsens: sed iam laureatis coronis vos ornatus atque insignitus sum, quæ & ipsæ vobis non modò magno honori atq; ornamenito crunt, verum etiam de præcipuis munericis

muneris & officij vestri partibus commonefacent. Laurus viriditatem suam per tempus hyemalē amittit nunquam, sed retinet eam perpetuō: ita & pietas vestra, studium atq; amor sinceræ Philosophiæ perpetuō vigebunt.

Lauri baccæ vt maximè nigricantes sint & amaræ: tamē cūm usus earum nihilominus sit certus & saluberri-  
mus: existimabitis & studiorum vestrorum radices hucusque amaras quidem fuisse, deinceps verò, si strenuè bonis artibus inuigilare pergatis, secuturos esse fructus dulcissimos.

Inter Laurum & vitem singularis quædam dicitur esse *amphætra*, qua de cauſa vinitores, qui sunt industrij & diligentes, odiſſe & eradicare eam solent: ita vos quoq; quotiescumq; coronæ huius laurex recordabimini, dabitis operam, vt vos vicissim Bacchi ſectatores odio prosequamini & ſtudia vistra lucernam ſeu oleum potius, quam vinum abſumant. Laurus denique ea vi dicitur prædita, vt tactis fulmineædibus, in primis iſ dicatur euadere illæſus, qui laurea corona ſit cinctus, cuius rei documentum Tiberium Cæſarem historiæ proponunt: ſic quoq; vos lauro corona-  
ti, difficultes fortunæ tempeſtates celo & invicto animo ſuperabitis, ſemperq; poſt nubila Phœbum ſerenum expectabitis. Nunc ergo ocyus ad me contendite, & ſtudij virtutis que vestræ *βελτεῖα* alacriter arripite:

## I. VALENTINVS LANGIVS GVDENS PERG.

*Æ*TERNVS virtutis honos & digna labore  
Præmia Musarum meritò comitantur alumnos.  
Pro virtute tibi Langi longoq; labore  
Præmia habe, viridem laurum, & loca primatuere.

D 2

Quo

*Qualis conspicuas inter Latonia stellas  
Nocte silens radiat: sic qui valet arte, sodales  
Emicat ante omnes, & primus & altior extit.*

II. IOANNES SCHRODERVS  
TREISENSIS.

Echo. *Huc SCHRODERE, cui placidum dat Gratia nomen.  
E. Omen. Te manet hæc laureola. E. aureola.  
Vt vites decorant vuæ, sic tempora laurus:  
Irrisor lauri vis pereat? E. pereat.  
Quid? si quis titulos artis contempserit? usq;  
Hunc premere optarem debile stamen. E. Amen.  
Quid? si Pierides quis spreuerit? ocyus atræ  
Huic Paræ abrumpant pollice stamen. E. Amen.  
Delicia tibi Iane tue sint numina Diuum:  
Et Charites curæ dulce leuamen. E. Amen.  
Has cole. Sic nomenq; tuum laudesq; manebunt,  
Donec humum vestit nobile gramen. E. Amen.*

III. ERASMVS ORLETTIVS  
BVTZBACHE NSIS.

Scazon. *Dilecte ERASME, amoris nomine qui gaudes,  
Tibi noster applaudit Scazon. Te Cirrhæus  
Vates amat: tibi Thespiades fauent Musæ:  
Et gratiose Charites gratiantur ceptis.  
En offerunt omnes pariter tuo fertum  
Capitiferendum, præmia militiæ ceptæ.  
Fac & colas & redames, à quibus ornaris:  
Sic omen infaustum cedet tibi nomen.*

IV. FRIDERICVS RVLMANNVS  
NIDDANVS.

Trochaic. *Prima sectantem est honestum in terris consistere*

*j. Vel*

*Vel locis quartis, quia arduis in rebus optimo  
Iure magna semper optimis habentur proxima.  
Nominis tui omen imple FRIDERICE lauriger,  
Pace gaudens ditiore: sis amans pacis bona,  
Et caput nobis corolla Apollinari necitor.*

V. RODOLPHVS GOCLENIVS  
MARPVRGENSIS.

*Tu quoq; GOCLENII carissime nate parentis,  
Nomine qui septem replet meritisq; Triones,  
Huc ades, ut crines ferti diademate cingam,  
Quod meruit probitas, virtus, doctrina, laborg;  
Et serto tu dignus, & hic, & quisquis honores  
Sectatur, vitaq; ignobilis otia vitat.*

Heroic

22  
22  
22

VI. LDOVICVS HVNNIVS  
MARPVRGENSIS.

*Macte pia virtute HVNNI, patris optime filii  
ÆGIDI, scriptis famaq; per aetheranoti,  
Huc ades, & primos studiorum latus honores  
Fer, Daphnesertum, quo te augur Apollo venustat.  
Perge HVNNI bifidos Parnasi inuisere colles,  
Perge sequi celebris vestigia cepta parentis:  
Sic temaiori decorabunt munere Musæ:  
Sic eris acceptus patriæ, gratusq; parenti,  
Et danti reddes vitam non immemor æqui.  
Id fore confido: nam iudico ab ungue leonem.*

Heroic

22  
22  
22

VII. GEORGIVS DRAVDT  
DAVRNHEIMENSIS.

*Nomen frequenter conuenit  
Rei: id GEORGI in te liquet,*

Iamb.  
dim;

Qui

D 3

## NOMINA

Qui cultor agri diceris,  
 Aruumq; seruas ingenii:  
 Cui stria in aure queritur  
 Penna anseris loquaculi:  
 Vnum tibi frontis deest  
 Decus, corona laurea.  
 En, mente quod tota cupis,  
 Habe corollam nixilem.

VIII. SYLVESTER MARIUS  
 NEOKIRCHEN SIS.

Echo. SYLVESTER Marius mihi est vocandus,  
 Phalac: Musarum soboles sacrata. E. grata.  
 Num sylvestris eris, comam Minerue  
 Si velarit odora laurus? E. aureus.  
 Ergo docte Mari corono frontem  
 Sertis, que superant Hymettiodorem.  
 E. Orem! Sed studij laboriosa  
 Te deinceps quoq; cura tangat. E. angat.  
 Nec cepto in studio sinas calorem  
 Extingui, sit ut ut molestus. E. aestus.

IX. IODOCVS VVALDISIVS  
 ALLENDORPHENSIS.

Sapph. Cui sacrum laurum hanc nitidam & tenellam?  
 Nempe IODOCO nitido & tenello.  
 VVALDISI textam manibus Dearum  
 Sume corollam.  
 O Camenarum decus! ô laborum  
 Dulce lenimen iuueni paratum  
 „, impigro! cingit male feriatos  
 Nulla corona

Scilicet

CANDIDATORVM.

27

, Scilicet fruges Cereris suæ,  
, Et Methymnae laticem racemi  
,, Prorsus ingrat o capitulo, qui non  
Hausit amara.

X. MARTINVS VILMARVS  
INNENHVSENSIS.

Hæc ego Martino tam bellula præmia dono,  
Præmia pro duris studiorum in munere curis.  
Netentes rursum ceptum dimittere cursum,  
Nec tibi consuetam studeas delinquere metam,  
Hunc habcas morem, non detrectare laborem.  
Sic VILMAR E viris olim annumerabere miris,  
Qui pietate graues sunt & grauitate suænes.

XI. ANTONIVS PISTORIVS  
ZIGENHANENSIS.

Ruris colonus arua fodiat anxius,  
Et pinguem scabro vomere sulcit humum.  
Tractet faber fabrilia: pistor sapius  
Pistrinum visat: Res age quisq; tuas.  
Phæbi satelles non sit pistor aut coquus,  
Nec sinat illico membra labore premi.  
Volue & reuolue doctiorum codices  
PISTORI, & ceptam currere pergeviam.  
En præmium tui laboris, lauream,  
Hac caput ornari iussit Apollo tuum.

Iamb.  
Trim. &  
Pentam.

XII. PHILIPPVS VVENTZIVS  
MARPVGENSIS.

Te quia GVENTZI — Ordo PHILIPPE  
Tangit, equorum — Dulcis amator;

Adon.

SHM

*Sume coronam, —— Præmia phœbi,  
Præmia magno —— Digna labore.  
Curam & amorem — (Hortor) equorum  
Linque : librorum — Suscipe curam.*

XIII. HERMANNVS AGRICOLA,  
FRITZLARIENSIS.

Hexam. *Agricola huc adsis, medio qui limite curris,*  
& Iamb. *Et sertulo frontem nitentec ingitor.*  
trim. *Nimirum medium, quodq; inter utrumq;, probatur:*  
*Medioq; colleitur tutissime omnium.*  
*Qui medium delinquit iter, non tramite currit*  
*Stabili. Icarus volens volatu vincere*  
*Aerias volucres, pennarum vincula adusit*  
*Sole, & fluentis nomen Icarij dedit.*  
*Si medium seruasset iter Clymeneia proles,*  
*Non occidisset igne tacta fulminis.*

XIV. PHILIPPVS HVGIVS  
BORCANVS.

*Opes auarus congerat improbas,*  
*Pauonis alter turgidus explicet*  
*Caudamq;, cristatumq; tollat*  
*More vpupe caput arrogantis.*  
*His de beatos præsidij putent,*  
*Fictaq; mentem læticia efferant:*  
*Ingloriae hæc vota una plebis*  
*Degeneres animos fatigent.*  
*Turectiori curris HVGIVia,*  
*Liquore sedans Gorgoneo sitim:*  
*Postponis æternis caduca,*  
*Et superaddis honorem honorio.*

Hinc

Hinc te Camænæ flore beant nouo,  
 Laurig sertum nobilis applicant  
 Fronti venustæ: Gratiæq;  
 Ad cytharam celebrant choreas.  
 Sic perge HVGI, sic ibis ad æthera:  
 Virtute gaude, macte animi bonis.  
 „Nescit paludis diua virtus  
 „Ad Stygiæ penetrare manes.

**XV. IOANNES HOSTENERVS  
FRANCOMONTANVS.**

Et te, sororum IANE laus Heliconidum,  
 Ad fœta Musis loca rudem duxit manu  
 Pallas benigna: & dum te nulla tadia  
 Frangunt, nec ingemis laborum pondere  
 Pressus, nouis iubent te ornari honoribus,  
 Et flore cingi non morituro verticem.

Iamb.  
Trim.

**XVI. ZACHARIAS RAVCH  
MARPVRGENSIS.**

Et tu Zacharia virgineam cape  
 Laurum, laboris præmium.  
 Verum heus alterius nominis immemor  
 Non durus, asper, aut scaber  
 Sis ulli moneo: sed memor ominis  
 Preces memento fundere,  
 Quæ fumi similes sidera torqueant,  
 Donec te Deus exaudiat.

1. Asclep.  
Chori-  
amb.  
2. Dimet.  
Iamb.

**XVII. GEORGIVS CANCRINVS  
TREISENSIS.**

Regreditur Phœbus per adusti sidera Cancri:  
 Ad sis, qui Cancrinomina nota refers.

Elega.

E

Phœbus

Phœbus amat Cancrum: quia nominis immemor, urget  
 Rectum iter, & telam texere continuat.  
 Hem tibi fragrantem lauri Cancrine corollam:  
 Te beat hac Phœbo terna monente Charis.  
 „ Tardigradi si quis seruet vestigia Cancri,  
 „ Non merces, non hunc gloriadu manet.

XVIII. CONRADVS WETZELIVS  
 GEISMARIENSIS.

Iam cura quiesce, labo<sup>r</sup><sub>g</sub>  
 Vehemens suspendere paulum.  
 „ Nemo sua membra fatiget:  
 „ Requies reparatio vita est.  
 Curas, studia, atq<sub>z</sub> labores  
 Tandem laus, gloria, merces  
 Ambit, comitatur, honorat.  
 Pulcra haec variatio rerum est.  
 Pro curis atq<sub>z</sub> labore  
 WETZELI cape frontis honorem  
 Charitum per amabile sertum:  
 Gratesq<sub>z</sub> exolue Camenis.  
 Acue ingeniumq<sub>z</sub> stylumq<sub>z</sub>:  
 Ut nomen cedat in omen.  
 „ Collatio mutua fulget.  
 „ In cotibus ingenijq<sub>z</sub>.

XIX. CASPARVS NAW  
 MARPVRGENSIS.

Non veris nitidigratia gratiior:  
 Non fessis sopor in gramine dulcior:  
 Non sic Hybla apibus mellatrahentibus  
 Arridet, nec Athos sicc lepores mouet:

Vt

## CANDIDATORVM.

3

*Vt dulcesti sunt Castalides Deæ,*

**CASPAR** Pierij delitiæ chori.

*Nunc ergo decoret tempora laurea*

*Bacca: hæc primus honor; aurea proximus.*

## XX. IACOBVS HVGO ALLENDORPHENSIS.

*Nunc flore crines impediā sacro*

**HVG** tuos. Hæm sumit olauream

*Intactam anili pollice: Gratiae*

*Hanc nexuerunt arte noua tibi.*

*Hic te virentem flos Ch:ritum bect,*

*Diffundat & se multiplici coma:*

*Vt, cùm senescis, poni fer adferat*

*Autumnus horti commoda plurima.*

## XXI. THEODORICVS CRATO GERAVIENSIS.

**DOROTHEE** ô Charitum, Aonidum, Phœbijs satelles,

*Dignum tuo fer nomine*

*Munus & omne.*

*Te quia muneribus Charites Musæg bearunt*

*Gratas putabis Gratias,*

*Thespiades pias.*

*Vade, tuoq; Dei compensa munere donum,*

*Erisq; Teodwro, modo*

*Qui Théodwro es.*

## XXII. EBERHARDVS HARDERVVS MARPVGENSIS.

**EBERHARDE**, qui ferocis

*Verris vocare robur,*

*Nesis ferox, nec ira*

*Refer vel ore verrem:*

Anacre-  
ont.

E 2

Cicur,

*Cicur, laboriosus,  
Phœbiq; sis alumnus.  
En quām venusta bacca  
Frontem tegat venustam!  
,, Lauri corolla primi  
,, Gestamem est honoris,  
,, Aurumq; subsequentis.*

XXIII. CONRADVS GALLVS  
BORCANVS.

Metrum  
Glyconi-  
um.

*Nunc te Galle voco, tuum  
Cincturus caput elegans  
Serto Palladis optimo.  
,, Ne pennis nimium tuis  
,, Fretus, celsa nimis petas.  
Nam solis facibus micans  
Iam nunc Cancer inæstuat.  
Quin omnem Thrasybule rem  
Sanis consilijs rege:  
Ut vel consilijs probè  
Audax vel catus audias.  
Nec somnus facilis nimis  
Noctu lumina sopiat.  
,, Non vir consiliarius  
,, Noctem dormiet integrum.*

XXIV. PETRVS HECHLERVS  
ZVINGENBERGENSIS.

1. Saph.  
2. Glyco-

*Qui ferè cyclum bone PETRE claudis,  
Aufer munus Apollinis.  
Ut rudes lane benè carminantur:  
Sic HECHLERE tui memor*

*Nomi-*

CANDIDATORVM.

33

Nominis, te ipsum sine carminari,  
Et peccati atq; dolarier:  
Sordis ut purus niteas, & vltro  
Te vestiget adorea.

XXV. ANDREAS STOSSING  
NIDENSTEINENSIS.

Exulta ANDREA Musis, bona verba precare  
Phaeostudiorum praesidi,  
Quem penes est ornare bonos, & spernere segnes.  
Te Baccalaureum creo,  
Et simul admoneo, iacere ut fundamina pergas:  
Sic bacca fiet aurea.

1. Hexam.  
2. Iamb.  
Dim.

XXVI. PETRVS WAGNERVS  
FRANCOMONTANVS.

Rerum omnium perfectio finis dicitur:  
Finis rei dat nomina.  
Cum fine planè exordium coincidit.  
Non integer vocandus est  
A Solis ortu vel medio cursus dies:  
Sed finis integrat diem.  
Quid ergo acerbius, WAGNERE, ringeris?  
Quod imus orbem perficis?  
Quin ades, & aufer, quote dignum iudicat  
Apollo, fertum laureum  
En nactus es cum primo & cum medio parem  
Gradum, paremq; adoream.  
Non peiores, quia ultimus: nec dignior  
Qui primus exit, aut locum  
Medium tenet. Gradu atq; honores sunt pares  
Primus, secundus, ultimus.

1. Iamb.  
Trim.  
2. Dim.

E 3

EXHOR-

EXHORTATIO AD PROMO-  
TOS ET RELIQVOS IVVE-  
nes studiosos.

Q VOD superest, hortor lauro Parnaside cinctos,  
Vt Spartam exornet quisq; labore suam.  
Omnia solerti vendunt Dij dona labore:  
Et Labor & Virtus munit ad astra viam.  
Virtutis salebrosa via est, atq; ardua cliuis,  
Difficilis, præceps, undiq; septa rubis.  
Sunt fructus dulces, radix Virtutis amara:  
Doctrinae ad limen cura laborq; sedent.  
Vos etiam reliqui, quos fama huc usq; recondit,  
Virtutum memoris inuigitate libris.  
Pellite desidias atq; otia marcida luxu:  
,, Otia sexcentis dant alimenta malis.  
Huc (moneo) vos deducant vestigia, dextro  
Quo tendit cornu littera Pythagoræ.  
Sic laudemq; decusq; sibi immortale parabit  
Quisq;: & defuncti fama superstes erit.  
Hoc firmumq; ratumq; velit ter maximus orbis  
Auctor, cui laudes guttura nostra sonant.

F I N I S.



## AD LECTOREM.

Aύτικός εἰνας βίβλον, φίλε ὁ αὐτογένης,  
Ταῦτ' ἐπανορθώσῃς, οὗτος βίβλος ὁδεῖς  
Χ' ἡγήσονται μονέοδοι τόδε· γέροντος  
"Ισχυε πάνθ' ὁρέαν ὄμμασιν" Αργεσ ἐστι.  
Καὶ μετέπειτα, θέμις πέλεως, πεποιηκόπι κείνων  
απόλλινος ἐξ σοδεῖς θεοῖς οἶδε χάρεν.

### LATINE SIC:

**H**as, tibi quas præsens commonstrat pagina, mendas  
Expungas calamo, lector amice, rogo,  
Atq; hoc donandū reputes mihi tute; nec unquam  
Argo vel licuit cernere cuncta probè.  
Quod superest, meritas Autori soluto grates,  
Optans, Nestorios vinat ut ipse dies.

### E M E N D A N D A.

Intitulo Orationis lin. 9. deleatur, &c. pag. 1. l. 18. ἀρετῆς. p. 2.  
l. 14. Pythagora. l. 16. π'. l. 26. tentarent. Logica &c. p. 3. l. 20.  
videar. l. 10. pro vestram, lege, videlicet. l. 11. pro vt, lege, at. p. 4.  
l. 11. Quæ. p. 5. l. 26. pro quidam, lege, quemadmodum. p. 7.  
l. 20. & 22. pro quidā, iterum lege, quemadmodū. p. 8. l. 12. post  
vocem mirabiles, deest, fuissent: Ibidem veneratione. p. 9. l. 8.  
Goarum. p. 10. l. 2. Semideos. l. 5. sibi, potestate. p. 11. l. 6. dela-  
pas. pag. 13. lin. 24. ἐκφωνήσῃς. l. 25. ponis. p. 17. l. 7. eiusmodi.  
p. 18. l. 20. iuge. p. 20. l. 12. epistolas. p. 23. l. 20. coronati. p. 24. l. vlt.  
in tertiijs. p. 26. l. 23. sacrem. p. 27. l. 2. pro Et Methymnæi, lege,  
Atq; odorati. pag. 28. lin. 23. His se. pag. 29. l. 26. Donec DEVS  
te. p. vlt. l. 13. innigilate.







155767

AB: 155767

ducam  
dñi 7.


ULB Halle  
004 975 669



3



### Farbkarte #13



B.I.G.

REPRO  
ORATIO  
PRO DEFENSIONE  
LVTHERI LVTHERA-  
norumquedoctrina:

OPPOSITA

ORATIONI ALBERTI  
HVNGERI IESVITICAE SE-  
CTÆ PROFESSORIS ET PROCANCEL-  
larij & Academiæ Ingolstadiensis, in qua malitiosè conatus  
est Theologiam Lutheri, Caluini, aliorumq;, vt ipse ait,  
Nouatorum, cum Philosophia Epicuris sic comparare, vt  
tandem petulanter afferere haud vereatur, Lutheranis-  
mum nil aliud esse quam perfectum Epicureismum,  
& contrà Epicureismum, nil aliud quam  
imperfectum Lutheran-  
ismum.

HABITA VERO MARPVRGI IN  
SOLENNI XXVI. BACCALAVREO.  
RVM RENVNCIATIONE,  
<sup>AB</sup>  
OTHONE GVALTPERIO D. GRÆ-  
carum hebræarumq; literarum  
Professore.



ANNO, M. D. XC.

bb. III. f.